



Nr. 2 fehlt!  
11. Dez. 1954 Lr

271

CONFESSIO  
DEOCLISI MELCHIORI  
THEODO  
COMMUNICATUS ORATIONIS  
INTER  
S. PETRI & S. PAULI



1

DISSERTATIONEM SOLLEMNEM  
DE  
**SPECIALISSIMA MEDENDI  
METHODO  
OMNIS FELICIS CVRATIONIS  
FVNDAMENTO  
PRO HONORIBVS DOCTORIS**

Ad D. April. c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> c c XXXXII.

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS DANIEL,  
SONDERSHVS A - SCHWARZ BVRGICVS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DISSERTATIONEM SOLEMNIAM  
DE  
SPECIATISSIMA MEDENDI  
METHODO  
OMNIUS ETIIS CARACTIONS  
LADAMANTO  
TRIONGRIBVS DOCTORIS  
M D C L X I  
JANUARII DE MARCHI  
CHRISTIANVS LUDERICVS DVENTER  
ACADEMIAE SOCIVS  
Tibi IOANNIS CHRISTIANI LUDERICI Auct: Typis  
M. V. M. GOODALE: E. G. 1782



V I R O  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERI-  
ENTISSIMO  
D O M I N O  
F R I D E R I C O   H O F F M A N N O

S. R. M. BORVSSICÆ A CONSILIIS SANCTORIBVS ET VALE-  
TVDINIS TVTELÀ ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ ET ORDINIS ME-  
DICI SENIORI COMITI PALATINO CÆSAREO ACADEMIÆ SCI-  
ENTIARVM IMPERATORIÆ CAROLINÆ PETROPOLITANÆ AN-  
GLICÆ ET BEROLINENSIS SODALI HÆREDITARIO

IN SCHWERZ

D O M I N O P A T R O N O   E T P R Æ C E P T O R I  
AD C I N E R E S D E V E N E R A N D O

N E C   N O N

V I R O  
C O N S V L T I S S I M O   A T Q V E A M P L I S S I M O  
D O M I N O  
I O A N N I   B E R N A R D O  
D A N I E L

S E R E N I S S I M I PRINCIPIS SCHWARZBURGI CONSILIARIO PRO-  
VINCLÆ ET A COMMISSIONIBVS, N E C   N O N   C O N S V L I   P R I-  
MARIO CIVITATIS SONDERSHVSÆ MERITISSIMO

P A T R I   O P T I M O   I N D V L G E N T I S S I M O  
E T   Æ T E R N V M   S V S P I C I E N D O  
H A N C C E   D I S S E R T A T I O N E M   S O L L E M N E M  
D. D. D.  
A V C T O R



VIR  
ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME  
PARENTS OPTIME



Vr equidem *Vestris nominibus* sacram  
esse velim hanc meam dissertationem;  
mirum profecto erit nemini, qui altius  
secum perpendit, æquum iustumque  
esse, vt aliquando conspicuum  
meæ erga *Vos* venerationis obsequii-  
que edam monumentum. TE quippe, *Illustris & ve-*  
*nérande Senex*, non possum certe non omnis felicitatis  
meæ auctorem statoremque compellare. Ex quo enim  
mihi, ante integrlos septem annos, penitus *Tibi* innote-  
scen-

scendi, felicitas obtigit, me non solum in domum *Tuam*  
recepisti, optimisque doctrinis *Tuis* & saluberrimis præ-  
ceptis, quæ *Te* iam dudum communem medicinæ do-  
ctorum effecerunt, priuatissima instructione imbuisti;  
verum etiam per omne id tempus tot beneficiorum ob-  
ruisti generibus, vt *Te* alterum parentem meum iure ve-  
nerer; quaque ratione animum *Tibi* deuinctissimum  
rursus declarem, omnino nesciam. Neque vero ho-  
mini beneficiorum immemori *Te* benigne fecisse existi-  
ma; sed quæ vñquam ex doctrina *Tua* in me imposte-  
rum redundabunt commoda, horum sane omnium ra-  
tionem venerabili recordatione ad *Te* referam gratissi-  
mus. *Tibi* autem, *Parens optime*, cum a Deo discesse-  
ro, debeo vitam, educationem, & necessaria ad ingenii  
culturam subsidia, quorum *Tu* certe nullum reliquum  
fecisti, si vñquam ad salutem meam pertinere visum est.  
Quæ cum ita sint, omnino sat graues mihi suppetunt  
caulæ, ob quas *Vobis*, *Illustris Senex*, optimeque *Parens*,  
studiorum meorum rationem redditurus, hanc meam  
dissertatiunculam submisse offero. Cuius licet dignitas  
tanta non sit, vt me graui ære, quo apud *Vos* labore,  
ylla ratione liberet; longe tamen impensior est, quo  
*Vobis* eandem consecro, affectus, quoque spem conci-  
pio certissimam, fore, vt diducta fronte, in summae ob-  
seruantiae animique grati tesseraam, hoc, quicquid est,  
muneris suscipere ne dedignemini. Quod si feceritis,  
ego

ego sicut omnia; ita & hoc, propensæ *Vestra* in me  
voluntatis specimen quæsitissimis semper studiis prose-  
quar, & per omnem vitæ meæ flexum gratus exolu-  
labor. Quod reliquum est, supplex precor diuinum  
Numen, velit Te, *Vir illustris*, Tuasque vites iam se-  
nectute fractas confirmare, & in maximam totius or-  
bis litterarii lætitiam, certamque tot ægrotantium fa-  
lutem per longum adhuc tempus integras, & tantis  
negotis terendis pares efficere, vnaque *Illustrem Fa-*  
*miliam Tuam omnibus*, quæ in mortales cadunt, bo-  
nis vberime cumulare; Te vero, *optime Paren*s, cum  
dulcissima matre, ad Ieram senectutem, in domus  
nostræ dulce præsidium, saluum perducere atque in-  
columem. Ita valete, *Vestroque patrocinio & amore*  
vlterius me dignamini. Dabam Halæ a.d. XXVII.

April. MDCCXXXII.



DISSERTATIO SOLLEMNIS  
DE  
SPECIALISSIMA MEDENDI METHODO  
OMNIS FELICIS CVRATIONIS  
FVNDAMENTO.

---

*PROOEMIVM.*



Ræsentem medicinæ statum consideranti non potest certe non insigne tædium mouere temeraria illorum audacia, qui , violatis medicinæ sacris, sine vlla naturæ rerumque medicarum cognitione , morborum curationes peruersissime aggrediuntur. Evidem omni fe-re æuo prudentiores nonnulli pestilentissima reipublicæ animalia censuerunt homines leuiter tantum eruditos, & in arte sua minus rite versatos. At vero dolendum est grauissime, saluberrimam hancce regulam nondum ad medicinam esse traductam, neque dum mortales ad eam iudicandi felicitatem pertigisse, ut medicum eruditum ab empirico indocto distinguere satis didicerint. Quilibet enim se hodie

A 2

finxit

fingit medicum idiota, & vix anicula rūmorē de morbo audiuit, cui statim remedium longo vſu comprobatum audacter opponit, ſuam in medendo peritiam glorioſe oſtentans. Quot dein agyrtæ & loquaces circumforanei, publicis etiam testimoniiſ muniti, hinc inde circumuoſant, qui miris artibus, ſummaque vaniloquentia, credulum quemque inani valetudinis recuperandæ ſpe elidunt. Aut quot infoſentes chymici, & qui divino quodam ſpiritu ſe afflatos ſomniant, adepti, immensæ virtutis arcana, & medicamenta vniuersalia, ſplendidoque polychreſtorum titulo ſuperbientia, admodum caro vendunt preio; quorum tamen omnium ea plerumque eſt ratio, ut non modo non proſint, ſed etiam nocendo in maius longe periculum, ipsamque mortem miſeros præcipitent. Et vbi fere locorum, præſertim in Germania noſtra, degit carnifex, qui non id ſibi iuris vna cum carnificina traditum iudicet, ut medicamentis etiam internis contra vim morbi & mortis pugnare ſibi liceat? Idem delirant opiliones, bubulci pariter atque ſubulci, imo fere ex plebe nati omnes, qui vix vnam alteramue herbam in morbis ſalutarem norunt,

quam

quam mox aliis eodem morbo decubentibus  
iniqua prorsus iactatione commendant. Ac  
si verum proferre licet, in omni ordine, ætate  
omni, seculis omnibus, & singulis denique di-  
sciplinis, ad præsens vsque tempus, exempla ad-  
sunt innumera, quæ luculenter admodum osten-  
dunt, singulari quadam & prope nativa homi-  
nes propensione ad medicam opem aliis feren-  
dam inclinare, a qua difficillime, & nulla pror-  
sus collertia, neque minis neque poenis poslunt  
cohiberi. Verum enim vero, non hi solum  
temeritatis crimen subeunt, qui extra medicinæ  
sphæram constituti remedia in auxilium mor-  
borum proferunt; verum etiam illi quam ma-  
xime lupinæ imprudentiæ accusandi sunt, qui  
sicut navem cœano, ita vitam suam, qua nihil  
pretiosius est, incerto medicastrî arbitrio nimis  
securi permittunt. Causas huius deplorandæ  
medicinæ calamitatis inquisituro, harum qui-  
dem plurimæ inuentu non difficiles occurrunt.  
Ex omnibus tamen præcipua mihi videtur,  
quod rudi vulgo non minus, quam ipsis etiam  
eruditis fixa inhæreat persuasio, dari certa ad-  
uerlus morbos remedia, ipsisque medicamen-  
tis certas atque specificas inesse virtutes, quibus

A 3

immen-

immensa humano generi beneficia possent præstari, si quis earum notitiam haberet. Docet hoc suo imprimis exemplo imperita plebecula, ad consulendum facillima; docent quoque nobiles & honestæ familiæ, quæ plerumque arcanas quasdam medicamentorum compositiones, probatae, vt aiunt fidei, in tcriniis suis adseruant, a quibus in simili casu eundem sibi effectum promittunt. Docent id denique, quod turpe dictu est, medicorum plurimi, qui sæpe toti sunt in corradendis remediorum formulis, suisque rebus fategisse putant, si easdem in morbis similitudine quadam affinibus sine omni indicatione, sine omni habito discrimine iterum præscribunt. Quorum vero singuli sicut vno omnes calceo metiuntur, & generalem medendi methodum ad morbos depellendos sufficere falso sibi persuadent; ita non mirum est, quod ægrotantium plurimos aut fortuito tantum casu sanitati restituant, aut in peiore valetudinis statum cum mortis periculo de- trudant, unice in hoc asylo requiescentes, quod prosperos ipsorum effectus sol adspiciat, aduersos tegat tellus. Multo magis aliam tutio remque in medendo viam inire decet, si cum certi-

certitudine quadam, & cum bonis ægrorum rebus morbis obuiam ire velimus. Plane enim non sufficit, herbas aliaque promta in auxilium morborum nosse, eademque sine discrimine proponere; sed totus rei cardo in eo potius vertitur, ut quis medicamenta, quorum virtus non absoluta, sed pro indiuidui & circumstantiarum ratione valde limitata est, conuenienter applicare, & ad salutarem dirigere finem exacte calleat. In quo autem perficiendo, dici vix potest, quantum præcipua medentium pars hallucinetur, quamque difficile sit, singula ita dispicere, ut ne præcipuum forte momentum obliuioni tradamus. Quum itaque per integrum septem annorum spatium, quo mihi doctrina atque hospitio *Viri Illustris* & tam fama, quam meritis per omnem Europam celeberrimi HOFFMANNI, singulari quadam felicitate vti licuit, grauissimos medentium errores, ex neglecta circumstantiarum æstimatione promanantes satis superque cognouerim; operæ facere pretium iudicaui, si in edendo specimine academico dissertationem de specialissima medendi methodo, vnico omnis felicis curacionis fundamento, conscriberem. Eo autem libentius

bentius ad pertractandum hoc thema animum calamumque adieci, partim quod nihil fere magis delapsam, & omnium pæne opprobrio expositam medicinam a conuitiis liberare potest, ac specialis & pro individui indole suscepta mendendi ratio, partim quod ipse *Vir Illustris* dignum hoc argumentum reputauit, in quo expendendo ingenii vires periclitarer, meosque qualescunque profectus in arte salutari demonstrarem. Id vero quum in hac commentatione quæsiverim efficere, an & quantum meas scribentis partes expleuerim, æquo & candido beneuoli lectoris iudicio permitto, fretus spe firmitori, fore, vt in hac opella meum bene merendi studium æqui bonique consulat. Quo autem in limine statim de ipso tractandi ordine paululum constet; scire licet, me confutato prius peruerso de remediorum operatione præiudicio, omnem operam eo contulisse, vt mendendi methodum præcipuis tam morbi, quam ægrotantis circumstantiis rite attemperandam docerem. Vtinam modo fini præfixo apte respondeant omnia!

§. I.

## §. I.

**T**AM apte, sapienter & concinne a summo omnium rerum opifice constructa est corporis humani machina, vt donec viua, sana & a putredinis labe immunis est, sanguis ceteraque fluida per vniuersam eius tubulosam compagem perenni moueantur flumine, ad successos inde laudabiles in vsum corporis conuertendos, inutilles vero extra cancelllos eiusdem mature efficiendos. Sustinet autem huncce vitalem sanguinis & humorum circuitum mutua illa & æquabilis solidorum ac fluidorum in se inuicem actio, quæ a debita solidorum elasticitate, & decente fluidorum mensura ac temperie vnice dependet, omniumque tam corporis, quam animi *functionum integratatem*, quæ sanitatis indicium præbet, egregie tuetur ac moderatur. Quamprimum vero, sublato hoc motuum vitalium æquilibrio, aut in firmis & continentibus partibus iusto maior sit tensio vel remissio, aut si liquida forsitan a naturali proportione temperie sua deflectunt; non potest inde non morbus, siue conspicua *functionum corporis lesio*, certissime emergere.

## §. II.

Quæ cum ita sint, non alia profecto ratione omnes morborum causæ suam nocendi potentiam in corpus humanum exercent, quam quod motum solidorum siue accelerent & augeant, siue imminuant, partiumque fluidarum quantitatem vel qualitatem quoconque modo immutent. Iam vero, quum vnanimi medicorum consensu, certaque experientiae fide, omnis sanationis fundamentum in eo potissimum contineatur, vt causarum series, a qua mōrbi

B

pro-

## DE SPECIALISSIMA

propullulant, apta ratione præscindatur; iudicatu sane facillimum est, nihil medico prius, nihil posterius esse debere, quam ut causas, æquilibrium illud solidorum & fluidorum turbantes, conuenienti naturæ methodo emendet, tollat, remoueat.

## §. III.

Instrumenta, quibus salutarem huncce finem obtinere studet medicus, dicuntur remedia, quæ satis commode in diætética, pharmaceutica & chirurgica possunt dispesci, omninoque eo debent dirigi, vt siue in solidas, siue in fluidas nostri corporis partes, siue in vrasque simul agant. In illas quidem, systolen depresso excitando; unde habemus roborantia, siue nimis auctam complacando, quod præstant anodyna: in fluidas autem, excedentem ipsarum copiam diminuendo, quod efficiunt euacuantia, vel demum intemperiem earundem corrigen-  
do, quo spectant omnis generis alterantia. Quorum omnium, ex amplissimo materiae mediceæ apparatu desumendorum virtutes & agendi principia intimius cognita habeat medicus, si iisdem cum fructu in artis exercitio yti voluerit.

## §. IV.

Ipsum agendi modum remediorum consideraturi deprehendimus, neque in vniuersa rerum natura, adeoque nec in corpore nostro, vbi omnia mutuis inter se viribus agunt, ullam mutationem sine motu posse concipi. Omnis autem motus sicut determinatam quandam inter nitentis & renitentis corporis vires supponit pro-  
por-

## MEDENDI METHODO.

ii

portionem; ita pariter de nullo medicamento in se spe-  
cato certus quidam effectus potest prædicari, sed ille po-  
tissimum a corpore humano viuo, actionem medicaminis  
recipiente, suisque viribus ipsi renitente est deriuandus.  
Aut ut paucis omnia comprehendam: nunquam a me-  
dicamento exoptata succedit mutatio, nisi corpus ipsum  
quoad solidas & fluidas partes ad recipiendum motum  
fuerit dispositum. Clarissime huius argumenti veritas e-  
luefecit, si modo ad ea, quæ experientia suppeditat, phæ-  
nomena, mentem velimus aduertere. Sic enim nullum  
neque medicamentum, neque etiam venenum in corpus  
mortuum, in quo nulla amplius agendi vis residet, ope-  
rationem suam exercet; quod tamen necessario eueni-  
ret, si illa soli medicamini in acceptis esset referenda.  
Docent hoc in primis vesicantia, cuti adhibita, quorum  
in numero cantharides eminent, quæ nullas plane ves-  
iculos in cadauere, easque leuissimas tantum in corpori-  
bus morti proximis excitare solent. Idem quoque de in-  
ternis valere existimandum est. Quid enim tam diuersa  
medicamentorum in diuersis corporibus operatio, quæ  
toto fere cælo differt, aliud subindicat, nisi quod certa  
quædam corporis dispositio requiratur, si pharmacum  
debeat opinatum præstare effectum? Cuius quidem rei  
longe plura adferre possem exempla, nisi partim eius  
veritas ex infra dicendis per se pateret, partim mihi in  
hoc perficiendo otium diu fecisset *Vir Illustris & de medi-  
cina ad maiorem euehenda certitudinem immortaliter  
meritus FRID. HOFFMANNVS* in aurea dissertatione  
*de vera medicamentorum in morbis virtute rite cognoscenda,*  
vbi totus in eo est, vt crassos illorum errores, qui cer-

B 2

tam

## DE SPECIALISSIMA

tam medicamentis efficaciam decernunt, refutando, eandem a facta ad individuum relatione solidissime deducat.

## §. V.

At vero, proxime iam non sine merito in quæstionem venire arbitror, in quonam illa corporis ad recipiendam medicamenti actionem dispositio propriæ confitatur? In quo quidem demonstrando a vero haud aberrare mihi videor, si illam in speciali, quam quilibet homo seorsim obtinet, partium solidarum & fluidarum inter se proportione repono; unde dein peculiaris mechanismus, & singularis quedam ad functiones tam naturales, quam præter naturam accidentes dispositio, certaque pariter medicamenti viribus resistentia pronissime resultat. Quum vero hæc mutua solidorum & fluidorum proportio ac motus non modo in diuersis corporibus admodum differat, sed ab innumeris quoque causis, ut sunt temperamentum, ætas, structura corporis, sexus, vires, diæta, consuetudines, anni tempora, climata, morbi, eorumque cause & symptomata &c. mirum in modum determinetur atque modificetur: in aprico esse positum iudico, ipsam quoque corporis dispositionem, &, quæ huic innititur, medicamentorum operationem, pro corporum varietate mirifice differre, adeoque a solo medicamento nunquam certum exspectandum esse effectum. Accedit, quod medicamenta plane non aliter, ac instrumenta possint considerari (§. III.), quibus vires corporis ad sanitatem quærimus dirigere. Instrumentum vero non agit, nisi vi alterius motum. Unde etiam a viribus corporis, cui ingestum est medicamentum, ipsius agendi

agendi ratio debet determinari. Et quum a singulis iam nominatim allegatis rebus ipsa corporis fabrica, indeque pendentes eiusdem vires diuersimode immutentur; medicamentorum quoque effectus mirifice ideo variet necesse est. Quare sponte sua refellitur absconum illorum figmentum, qui breuioris sanandi rationis studiosi specificam remediis energiam adsignant, eademque sine prævia consideratione tam affectuum, quam indiuiduorum & causarum laudentium promiscue & temerario ausu propinrant.

## §. VI.

His ita præmissis iam satis cognitum perspectumque esse confido, omnem morbis recte medendi methodum a singulari medentis prudentia pendere, & vnica hac legre practica quam optime comprehendendi:

*Remedia applicandi ratio prouide admodum & circumspete secundum morbum, eius causas, symptomata & decursum; speciatim vero secundum corporis indiuidui naturam, temperamentum, atatem, sexum, vires, sensationem, consuetudines, diætam, humorum & viscerum constitutionem, se- & excretionum successum, tempora anni & climata debet institui, ipsaque remediorum virtus simul ex eorundem adhibendi modo, & aliis admixtis caute dijudicari.*

Atque hanc remediorum secundum omnes circumstantias

B 3

pru-

## DE SPECIALISSIMA

prudentem applicationem equidem *methodum medendi* dico *specialissimam*, quæ sane rectissime, prout titulo efferre lubuit, omnis felicis curationis inconcussum constituit fundamentum. At bone Deus! quot & quantæ in hoc opere pro virili praestando obliiciuntur difficultates, quot ferè inexplicabiles adsunt rationes! luculento indicio, diuinam medendi artem minime esse adeo leuem, facilem & nugatori cuius peruiam; sed rem plane difficillimam, magnoque iudicio & improba demum industria parabile opus. Id quod per pulcre non minus, quam ex veritate antiquissimus medicinae parens HIPPOCRATES edocuit, dum *experientiam fallacem, iudicium difficile, experimentum periculosum, totamque hominis statem arti perficiende vix sufficientem* pronuntiauit,

## §. VII.

Meum nunc erit, vt datam fidem soluturus apta ratione demonstrem, quomodo iam stabilitæ regulæ practicæ ipsa medendi methodus sit accommodanda. Quoniam vero ad curationem tuto & feliciter peragendam nihil æque confert, ac morborum quoad peculiarem indolem, causas & symptomata exactior cognitio; unde deinceps firmum de remediis adhibendis iudicium formare, singulaque individuo rite attemperare possumus: hinc eundem iam ordinem in opere pertractando seruare placet. Et primo quidem ipsa morbidæ affectionis conditio se nobis consideranda sistit. Nisi enim quis morbum, cui auxiliatrices ferendæ manus, distincte noscit medicus, qua ipse ratione ad causarum scrutinium descendere, aptaque remedia iisdem opponere queat, cquidem

quidem non video. Siquidem diuersi morbi diuersas supponunt causas, a quibus proueniunt, adeoque etiam discrepantem corpori & eius functionibus laesionem inferunt, cui demum differens respondet medendi ratio (§.VI.) In cuius rei fidem duos tantum valde inter se conuenientes morbos, apoplexiam atque syncopen, in medium adducere lubet. In utroque vna eademque obseruatur accessio[n]is ratio, & laborantes sensuum usu priuati immobiles iacent. Si quis itaque veri discriminis nescius ignorat, in syncopticis insultibus faciem esse pallidam, pulsuumque iterum debiles & respirationem interceptam, quae contrario plane modo in apoplexia se habent, tum oinno desideratam ferre medelam nullus poterit. Siquidem in apoplexia venae sectio praesentissimam adfert opem, quae contra in syncope, ob summam vasorum stricturam, & languidum cordis motum aut frustra prorsus, aut cum damno suscipitur.

## §. VIII.

Tanta autem aliorum etiam morborum tam ratione inuasionis, quam decursus & symptomatum inter se est conuenientia, ut subacto iudicio & multa saepe experientia opus sit ad alterius ab altero discrimen ex notis specialioribus rite detegendum. Ne igitur in re tanti momenti delinquit, sibique & agrotanti imponat artifex, omnem fane impendere debet operam. Nulla autem fere melior ad differentem morborum indolem cognoscendam datum methodus, ac si quis solidiori corporis viui & fani scientia, quam physiologiam scholæ medicæ appellant, fuerit praeditus. Etenim, quum omnes morbosæ afflictiones per qualcumque functionum laesio-

læsionem se manifestant; ( §. I. ) facile profecto est negotium, ad morbi intelligentiam perueniendi, si partium in statu sano munia probe cognita perspectaque habemus, & simul ex anatomica earum consideratione diuidicare didicimus, quale vitium per structuram suam recipere, qualemue aduersæ sensationis speciem in statu morboſo referre soleant. Sic enim, quod illustrationis causa diētum esto, molestæ hypochondriacorum in utroque imi ventris latere inflationes & dolorificæ pressiones rectius quidem intestino colo a flatibus aut distento, aut spasmōdice constricto, quam hepati vel lieni tribuuntur, ideo quod horum viscerum fabrica, ob pauciores neruorum propagines neque tam exquisito sensu gaudet, neque a sanguine inibi accumulato ita potest distendi, ut intrat breue tempus denuo gracilescat. Tum quoque cauſarum prægressarum, symptomatumque aestimatio quædam non obscura morbi præsentis indicia suppeditare poterit. Siquidem medicus in re physica bene versatus per facile intelligit, quam nocendi potentiam errores in diaeta commissi habeant, quemue effectum in corporibus producere soleant. Symptomata autem morbum, a quo dependent, indicare, hoc inter plura alia exempla, vel solus ille ardentissimus calor, qui inflammationem ventriculi cum magna pulsuum celeritate comitatur, ostendere potest, quo ipso acuta haec febris a cardialgia perbelle discernitur. Atque ad singula haec recte cognoscenda facilem pandit viam completa morbi quo ad omnes circumstantias consignata historia, cui ideo peritus in arte medicus tantum non semper therapiam debet superstruere.

§. IX.

## §. IX.

Cognito iam morbo ad ipsas causas eius deuenientium est, quibus expugnandis idonea debent opponi auxilia. Sunt autem ex iis, quæ vel immediate morbum excludunt, vel mediate & remote ad eum conferunt. Illæ dicuntur formales proximæ, quæ sufficientem morbi rationem continent, in perturbato, eoque vel nimis aucto vel deficiente solidorum & fluidorum motu vnicے consistunt. Sicut autem in statu fano non interruptus æquabilisque solidorum & fluidorum motus a partibus solidis, liquida vehentibus, quam maxime dependet; ita nihil dubii est, quin etiam inæqualis & a mensura recessens iisdem adscribi tribuique potissimum debeat. Siue enim intensior cordis arteriarumque systole & diastole, cursum sanguinis accelerando, febres progignit; siue aucta fibrarum tam muscularium quam membranofarum systole, liquidis inæqualiter distributis, spasmos, conuulsiones, dolores & hæmorrhagias producit; siue nimia earum relaxatio, quam atoniam appellamus, intercepto & retardato fluidorum progressu, varii generis stagnationes & corruptiones tam seri quam sanguinis, viscerumque infarctus & obstructiones &c. inferre solet. Et licet primo rei intuitu longe plures morborum causæ continent esse videantur, facile tamen quisque aliter sentiet, qui paulo altius secum perpendit, allegatas hasce causas pro differenti partium, quas laedunt, structura tantum varias adferre functionum læsiones, quibus deinceps diuersa imponuntur nomina. Ut ideo nihilominus pro firmo certoque statendum sit, præsentibus hisce causis, morbosas corporis ad-

C

fictio-

flictiones esse præsentes, remotis autem sponte sua illas remoueri ac subigi.

§. X.

Neque tamen ex voto hoc præstare poterit medicus, nisi simul ad causas materiales, hos motus irregulares proxime efficientes, curatius attendat. Sunt autem illæ infensissimæ sanguinis & humorum in canalibus suis quietes, lentioresque progressus, siue stases atque stagnationes, ad quas discutiendas, resoluendas & in circulum redigendas omnis dirigenda est medicatio. Solent autem illæ ipse ab antecedentibus quibusdam causis, & hæ rursus a remotioribus, in peruerso vitæ vietusque regimine fundatis, sustentari, quarum vtique seriem ordinemque scire oportet medicum, si cum fructu curationem peragere in votis habet. Vtpote in eodem morbi genere saepe multiplices sunt, vt modo his, modo aliis tolli velint remediis, quæ ideo optime debet medicus feligere. Minime enim suas in medendo partes perfecit, qui in morbo spasmatico sola anodyna offert, aut in virium languore analeptica propinat; sed longe curiosius antea dispiciendum est, vnde spasmi viriumque languores proueniant, si non tam morbum ad tempus lenire, quam funditus potius euertere cupimus. Id quod vt paullo clariss innotescat, iam in medium proferre lubet vel unicum satis sollemnem affectum, capitis dolorem, cuius quidem ratio formalis in qualicunque membranarum capitis neruarum irritatione continetur; quæ tamen ab aliis longe pluribus causis materialibus & antecedentibus sustentatur, quibus simul obuiam ire remediis decet. Ita enim in iuuibus sanguine & succis plenis non adeo raro a sanguine

## MEDENDI METHODO.

v9

guine nimio exastante, fortiusque ad caput propulso, modesta hæc sensatio suscitatur, quam eo tempore temperantia nitroſa, potus frigidæ, pediluuia, ipsaque venæsectio optime mitigare solent. Hypochondriacis eadem ſepe adfectio a ſanguine ob ſpasmus & fatus primarum viarum, aliique adſtrictionem, ſuperiora petente contingit, vbi remedia ſtomatica, ſpasmus & fatus diſcutientia cum clyſteribus & aluum ſubducentibus optimam ferunt mede-lam. In ſcorbuticis hic dolor aduersam ſanguinis & humorū dyſcrasiam pro cauſa agnoscit, quam diluentibus & humorū correctioni dicatis remediis emendare expedīt. In ſenibus porro eadem humorū impuritas & neuroſi generis imbecillitas eundem hunc morbum exclu-dunt, vbi præter ante diēta ſanguinem depurantia, ſpirituosa analēptica interne & externe adhibita, egregie opitulantur. In iis demum, qui venereæ luis igniculos in-tus alunt, dirus hic morbus a lympha corrupta ſuos mu-tuantur natales, quam ideo per apta remedia corrigere de-cet, ſi laudem curationis bene peracta referre velimus.

## §. XI.

Neque vero ſufficit cauſas, quæ dicuntur proximæ, morborum noſſe; ſed inquire etiam conuenit, in quo viſcere, in qua parte ſuam fixerint ſedem. Etenim cognoſcimus exinde non ſolum cauſe vehementiam, ſi partis cui inſidet, plus minus ad vitam neceſſariæ functionem conſideramus; verum etiam in ipſo curationis negotio feliciores facere progressus licebit, vbi veram eius ſedem paulo rectius inueſtigauimus. Ita febres intermittentæ & lentæ, asthma ſtomaticum, cephalalgiae diuturnæ, aliique plures morbi, aut in prima, vt aiunt, herba ſuffoca-

C 2

ri,

## DE SPECIALISSIMA

ri, aut iam adulti ex voto personari poterunt, quando ipsum causæ materialis somitem subtrahere didicimus. Qui vero quum in dictis affectibus intestino plerumque duodeno inniduletur, quod ob tunicam nerueam, villofa tectam, minus sensibile est; facile inde eruditus & in arte probe versatus intelligit medicus, purgantia medicamenta ad vitiosos humores inde euacuandos minus sufficere, sed maiori longe stimulo, quem emetica præstant, opus esse, ad illos e latibulis suis exturbandos. Atque ideo vomitura scientia remedia, cum debitissimæ cautelis exhibita, in eiusmodi casibus omnium fere auxiliorum genera longissime superant; quicquid etiam nonnulli nimis timidi, eorumque genuinum adhibendi modum ignorantes contradicant. Ex quibus simul optime apparere arbitror, circumspecta horum momentorum consideratione, aptiorum reddi medicum, ut sciat, quænam medicamenta, an debilia, an fortiora sint porrígenda, & an spes curationis, ab iisdem exspectari possit, an minus.

## §. XII.

Licet vero nonnisi causis morbi cognitis, sanationem eius moliri concessum sit; attamen illæ medentis examen ita sëpe subterfugiunt, vt vel oculatissimo absconditæ maneant. Quis enim, ut pauca tantum exempla allegem, diuinare valuerit, pertinacem alui obstructionem pueruli, cuius mentionem faciunt *Ephem. nat. Curios. Dec. I. ann. VI. & VII. obs. 97.* ex crescentiæ carneæ intestinis adhærenti ortum debuisse, aut, ut mihi constat, a nimia intestini recti, a glandulis in parte superiori induratis, angustia fuisse productam; nisi inuestigatio cadauerum hæc virtus post mortem clarius detexisset? Sæpe etiam irregularis

## MEDENDI METHODO.

21

latis ciborum appetentia, vagi intestinorum dolores, alii inordinata secessio, intercurrentes cephalalgiae & phlogoses, malum hypochondriacum in natu maioribus mentiuntur; quæ tamen omnia non raro vermiculosam progeniem pro causa agnoscunt. Et quis omnes enumerare velit causas, quæ in morbis ab interno quodam abscessu, obstructione mesenterii, polyposis concretionibus, scirro latente & simili labe productis post fata demum in cadaueribus deprehenduntur.

### §. XIII.

Sæpe etiam incidit, ut causa, quamvis a medico perspecta, medicamentorum vim plane eludat. Omnino enim inter vim morbi & remediorum iusta debet esse proportio, qua deficiente, inanis est conatus medendi omnis. Quis enim fere lapideam hepatis indurationem in hydrope emollire, liberumque sanguini cursum per hoc viscus restituere ausit; aut quis purulentam pulmonum consumptionem in vera phthisi emendare valet, licet optimè harum causarum conscius? Multo magis tum omnem eo operam conferre fas est, vt leuamen quoddam symptomatum ferendo, aliquam dulcissimæ vitæ prolongationem procuremus.

### §. XIV.

Causarum morbi effectus sunt ipsæ functionum lœsiones, quas symptomata dicunt medici, & in primaria ac secundaria solent distinguere. Illa quidem a morbo separari nequeunt, sine his autem, licet abeffent, morbus potest persistere. Vtraque profecto in medendi methodo rite adornanda probe decet attendere. Sæpe enim, vt a secundariis ordiar, nonnulla iunguntur, quæ remorram

C 3

ram

ram iniiciunt, quo minus proximæ causæ satis commode possimus occurrere; aut si ipsam oppugnaremus, nocuum morbi in peius conuersationem allaturi essemus. Quod si anticipis huius euentus euidentiora se produnt indicia, contraindicatio adesse dicitur, qua difficiliores morborum curationes fieri sagaciores medici omnes, & recte quidem iudicant. Exemplum præbent nimia alii fluxiones, quæ febribus acutis saepè iunctæ, multum ut plurimum medico facesunt negotii, ideo quod remedia iisdem proficia febris astum magis accendent, & quæ huic rursus extinguedo dicata sunt, temperantia salino-nitrosa, alium magis solutam fluxilemque reddunt. Idem deprehendimus in pectoris affectibus, vt tussi conuulsiva chronica, cuius quidem sequitia blanda nonnunquam postulat sedantia, & a credinem demulcentia, vt sunt decocta aeneacea, variisque ex oleosis & dulcibus parati linætus, quorum tamen usum ventriculi imbecillitas non raro interdit. Id quod nisi tam frequenter accideret, longe fane expeditior faciliorque esset medendi labor, neque tam multi terræ parenti ante diem redderentur.

## §. XV.

Neque parum interest, vt primaria & cuius morbo propria confideremus symptomata. Postulant enim saepè prius aliquam vehementiæ suæ mitigationem, quam causæ remouendæ manus medicatrices adhibeamus; alioquin funeri dant ægrotantes celerius; quam causa morbi potest subigi, suaque nocendi potentia priuari. Ita enim laciniantes capitis dolores, foetida genitalium, oris, nariumque ulcera, tophi & ossium caries in contagioso luis venereæ affectu sponte quidem euanescerent, tota cor-

rupto-

ruptorum humorum massa ex intimis corporis recessibus per debita emunctoria expulsa. Si quis autem spretis hisce symptomatibus nulla externa subueniret medela, certo certius esset periculum, ne putrida partium quarum-uis corruptio plenariam machinæ destructionem adferret, ante quam fine suo ad remouendam causam directo potiri liceret medico. Simili ratione in pustulosis cutis affectibus intolerabilis ille pruritus perite est mitigandus, nisi velimus, ut ægrotantes cutim nimium scalpendo maiorem eius relaxationem, quam postea vberior sordium inutilium adfluxus sequitur, ipsiusque mali longiorem protractionem sibi proritent. Et profecto, qui symptomatibus prudenter mederi didicit medicus, facile sibi magnam conciliabit existimationem. Laborantes enim de morbo eiusque causis, quas ignorant, parum solicii functionum tantum lesionibus medelam a medico exposcent anxiique exspectant.

### §. XVI.

Singula hæc tenus de causis & symptomatibus allata satis, ut arbitror, testatum reddunt, alias atque alias causas, diuersaque symptomata, variam corpori mutationem inferre, quæ etiam diuersam poscit medendi rationem, caute ideo a medico eruditio instruendam. Proximum nunc est, ut indicem, quomodo secundum morbi decursum instituenda sit curatio. Complector autem sub morbi decursu eius ortum, varium progressum & paroxysmos. Quæ omnia sicut certis statisque temporum periodis contingunt; ita omnino medentis est, has ipsas omni, qua fieri potest, attentione obseruare. Quod autem si minus pensi habemus, metuendum est, ne remediis,

## DE SPECIALISSIMA

diis, quamvis causæ oppositis, contrarium producamus effectum, insitamque corpori vim se conseruandi deprimamus, ubi potius deberet excitari, & a medela adiumentum accipere. Latior autem hic patet campus, quam initio quisquam existimaret. Quilibet enim morbus speciales quasdam habet accessionis, incrementi, status & declinationis leges, non sine labore nec difficultate in tanta ægrotantium diuersitate eruendas. Atque in hoc obseruando saniores naturæ ministri a coecis empiricis recedunt, qui artis præsidia contra morbum commendantes nihil curant, quibus natura in morbis sanandis vtatur temporibus, quibus viis & motibus, quos possent siue promouere, siue pro rei statu compescere.

## §. XVII.

Neminem a me postulaturum esse confido, ut per quævis genera morborum eundo ostendam, quomodo singulis vniuersciusque periodis & successionibus accommodanda sit medendi methodus; sed meo scribentis munere satis functus mihi videor, si præcipua, quibus totum hoc negotium absolvitur, momenta breuibus commemo rauero. Paucis itaque hæc habe: In omnibus morbis primo mox insultui in tempore præueniatur, ante quam natura nimis delassata morbo expugnando impar euadat. Præceps enim & momentanea est medendi occasio, qua neglecta ægritudines, quæ vel facile auerti, vel lenioribus tolli præsidis potuissent, postea nisi heroicis, aut nullo prorsus negotio profligantur. Quid enim, ut rem exemplo illustremus, in acutis inflammatoriis febribus ullo poterit medicamento præstari, si inter initia necessaria sanguinis nimii e vena secta detractio fuerit omissa, nec in

In lentiſ & hec̄ticis febribus impura vitioſorum humorum colluuies in principio e primis viis commode educa? Deinde in ſingulis, maximeque acutis paſſionibus, ſollemnes illi motus excretorii, quibus artificioſiſima corporis noſtri machina, ſuis ipſius virib⁹ viſa, certis tempori⁹ cauſam morbi critice euincere nititur, follicite ſunt obſeruandi, reſtaque medicamentorum applicatione, ſi male procedunt cohibendi, aut ſi ſalutares ſunt, omni ope re adiuuandi. Cauendum enim maximopere, ne his contraria moliamur, quale quid accidere ſolet, ſi e. g. in arthriticis affectibus, vbi motu quodam auctiori critico aduersæ indolis falia ſcorbutica foras expelli debent, vñctuoſa, relaxantia & reprementia adhibemus, aut in variolarum initio, ante debitam materiæ præparationem, remedia nimis calida expellentia offerimus. Quare etiam inde alia emergit regula valde utileſiſima, ne materiam ad excretionem nondum aptam euacuemus, neque eandem per vias minus diſpoſitas atque patentes, ſed cuius noxio humor a natura prouifas educamus. Tum quoque paroxysmos ſtabilesque morborum recursus eo fine attendere expedit, ne forte iisdem vigentibus, vbi omnia ſunt in motu, magis exagitemus, ſed potius vehementiam ſpasmorum, relicta interim cauſa, apta ratione complacemus. Sæpe etiam, mutatis circumſtantiiſ, quod heri profuit, hodie nocet medicamentum, aut ſuam iuuandi virtutem non exerit, niſi ulterius continuetur. Atque haec medicamentorum continuatio in morbis chronicis maxime neceſſaria eſt, in quibus crebra eorum mutatione nihil datur pernicioſius; quum e contrario pertinacior eorum, quaे obſunt viſus, quem iſolentes quidam strenui-

D

que

que sententiarum suarum defensores commendant, iustam mereatur censuram. Quare medicus suo satisfacturus officio omni cura & consilio in id debet incumbere, ut remediiorum effectus in quavis morbi periodo bene obseruet. Denique iis, qui morborum intersunt curationibus, non obscurum esse poterit, morbos saepe occurtere complicatos, vel etiam nouos ex prioribus succrescere. In priori casu circumspete admodum videndum est, ut præcipuo valdeque vrgenti medelam obiiciat; in altero autem genealogiam morborum exacte conuenit nosse medicum, ad eorum accessum aut auertendum, aut in primordiis suffocandum. Quod qui scire, recteque intelligere cupit, adeat illustrem HOFFMANNVM in tomo III. med. rat. systemat. cap. X. de generatione morborum ex morbis, qui ipsum hoc saluberrime docebit. Atque haec sunt præcipuae regulæ circa decursum morborum tenenda, quarum singulæ satis superque declarant, summe esse necessariam medicamentorum ratione ordinis certique temporis applicationem, quam nisi satis compertam habeamus, nihil certe laude dignum in artis operibus præstare possumus. Quæ reliquæ videntur cautelæ, facile ex iam dictis & adducendis poterunt deduci aptaque ratione resolui.

### §. XVIII.

Quid vero innuat, omnium causarum symptomatumque lustrare recessus; nisi ipsum corpus ægrotantis individui, in quo morbus suam ludit tragœdiam, curate exploremus. Nullæ enim causæ, nec symptomata per se existunt, sed semper certo inhærent subiecto, a cuius varia structura, & diuersa quoad solidorum fluidorumque motum

motum constitutione, varie determinantur, ita prorsus, ut etiam remediis differens inuehatur effectus. Pedem igitur amplius promoturus, paucis iam euincam, quid medico naturæ ductum assequuturo in quovis ægrotante fidei suæ demandato considerandum disquirendumque veniat. Quum autem varia se nobis in hoc præstanto obiiciant, aliamque considerationem fabrica corporis, temperamentum, vires, consuetudines, ætates, vitæ genus, humorum constitutiones & sic porro desiderent; hinc, ut ordine procedam, singula seorsim pertractabo.

## §. XIX.

Et primo quidem ipsa corporis fabrica & peculiaris, quam quilibet homo ad sensum obtinet, partium solidarum ad motus edendos fluidaque propellenda dispositio, quam medici naturæ nomine efferre solent, disquisitionem meretur. Deprehendimus autem homines alias tendinum & neruorum compage crassiori, vasis capacioribus, muscularisque & fibris solidioribus, arctius sibi inuicem nexionis & magis tensis instructos, vegetoque pulsū præditos, qui ad motus quoscunque & labores quoque subeundos præ ceteris alacritatem promitudinemque obtinent. Alios rursum videas, qui graciliores neruos, vasa angustiora, mollemque, laxam & flaccidam carnem, cum debili & languido pulsuum iectu obtinuerunt, sed prioribus longe imbecilliores motus inertes languidosque habere solent. Atque in his non solum insignis ad morbos suscipiendos & rerum laudentium impressionem admittendam, proclivitas obseruatur; quoniam ex verissimo CELSI effato imbecilia corpora omnibus morbis patent: verum

D 2

etiam

etiam difficilius ægriusque cum morbo colluctantes eidem non raro succumbunt. Longe vero aliter res se habet cum iis, quos antea robustiores natura pronunciavimus; vt pote qui neque facile ab iniuriis externis morbosam recipiunt afflictionem, neque tam diu, tamque grauiter, ea semel correpti ægrotant, sed leuiter arte adiuti conualescunt. Felices ergo prædicandi sunt omnes, maximeque iuniores medici, qui ægrotantes, firma natura præditos naeti non pertimescere debent, vt de fama sua periclitentur, quam plures alii, infeliori fide re nati, vna cum mortuis ad tumulos deferri, ibique alte recondi ægerrime dolent.

### §. XX.

Neque adeo difficilis est negotii rationem intelligere, ob quam alia præ alia corporis textura insigni prærogatiua gaudeat. Etenim cum vita, sanitas & integer se- & excretionum successus ab æquabili, viuido & non interrupto sanguinis & humorum circulo vnice dependeat; hic autem a solidis partibus, fluida vehentibus & impellentibus sustentetur, modificetur atque dirigatur; iudicatu sane facillimum est, eundem circuitum a fibris & canalibus, maiori vi motrice animatis, non modo vegetius propelli, sed in maioris quoque diametri tubulis facilis, quam in angustioribus progredi. Ne dicam, quod sub paulo strictiori corporis habitu, longe maior fiat sanguinis motus intestinus, siue partium sanguinem constituentium attritus, quo mediante humidum superfluum per debita emunctoria per belle dissipatur, longeque purior sanguinis tenerima atque agilissima portio, quæ nervis irrigandis,

dis, viribusque sustentandis dicata est, in cerebri substantia separetur. Vnde etiam homines compactioris texturæ multum agiliores & ad negotia aptiores, quam quidem obesos, magna que succorum copia, velut sarcina pressos in communi vita deprehendimus. Digna mihi videntur, quæ hoc loco recenseam BAGLIVI verba pag. 310. oper. comprehensa: *Robur corporis non tam a liquidis, sed a solidis pendet, quorum fibræ assidua exercitatione roborantur, tenduntur, crispantur, & elater nimium intendentur. Hinc solidæ intenta fluidis ad contactum circulantibus magnos viuidosque motus communicant; unde vires ingentes, sicut videmus in rusticis. Horum enim sanguis, licet ob misérum victum spirituosis non abundet partibus, sicut in diuitibus; in his tamen laxiori solidorum compage præditis deficit energia & vis, quam in impellendis fluidis exercet, & inde ad labores & motum ineptitud exoritur.*

### §. XXI.

Sed vt paulo proprius me accingam ad id ostendum, cuius causa hanc de corporum structura digressiō nem feci; breuibus nunc indicare lubet, medici famæ suæ consulturi quamplurimum interesse, vt sciat, quid sibi de ægrotantis natura & robore partium solidarum statuendum sperandumue sit. Postulant enim ægroti de morbi decursu & euentu iudicium, postulant adstantes, imo & alii, ad quos fama de morbo perlata est. Nulla autem re fere magis, quam prognosi inepta suam amittere existimationem medicus potest, si forte semitam empiricorum premendo, vbi leuis morbus est, magnum portendit periculum, aut, vbi plena periculis agitur, arcanis suis curationem promittit facillimam.

D 3

Dein-

## DE SPECIALISSIMA

Deinde causæ morbi, ad quas tollendas omnis collineare debet medela, non absoluta gaudent nocendi potentia, sed pro diuersa corporis structura aliam habent indolem, aliamque motus naturales inuertendi facultatem, quam ideo probe decet perpendere. Ita enim morbus in firmitioribus corporibus consueto ordine, tranquille & placide decurrit, certisque periodis critice soluitur; qui e contrario in debilibus turbulentे, sine statis debitisque crisibus, magna inexspectatorum symptomatum stipatus caterua procedit; vel etiam sui memoriam in variis corporis partibus labe residua infectis relinquit. Tum etiam hæc specialis ægrotantis aestimatio hanc spondet utilitatem, ut certior medicus euadat de remediorum adhibendorum selectu. Sic enim optime diiudicare poterit, medicamentis an fortioribus, an temperatis adoriri causam morbi debeat; siquidem vbi emeticī vel purgantis remedii indicatio est, præuidebit, huius quidem spicula, fibras ventriculi nerueas irritando, validiorem edere effectum, in hominibus, quorum fibræ perinde in ventriculo ac in toto corpore sunt teneriores & ad resistentiam minus capaces. Neque vero solum expedit, partium solidarum tonum & motum, qualis in statu fano esse consuevit, considerare, sed speciatim quoque disquirere, quomodo præsente morbo se habeat. Potest enim incidere, ut fibræ alias minus tensæ & crispatae, nunc spastico constrictæ remedium alio tempore innoxium ægrius ferant. Vnde e. g. laxans bono cum successu alias oblatum iam alui refectionem aut minus solet efficere, aut nimias defectiones mouere, si causæ obstructæ alii a spasmis prouenerint, qui a tali medicamento aucti excremento-

mentorum fecessum retinent, aut maiori humorum irritato adfluxu hypercatharsin mouent.

## §. XXH.

Multo autem clariorem de corporis indistinctui natura conceptum formare nobis licebit, si graues quasdam & sotnicas causas, quae corpora imbecillia morbisque obnoxia reddunt, æqua lance librabimus. Has inter primas tenet hereditaria, & a parentibus accepta partium solidarum sive ad spasmos, sive ad atoniam dispositio. Quæ si præsto est, liberos facile in eundem incidere morbum videmus; quare hypochondriaci & hystericiæ progignunt problem ad eosdem affectus procliviem, calculosi calculosi, phthisiciæ phthisicos, podagriciæ podagricos, & sic porro. Si quis igitur in morbis, præsertim chronicis, debellandis morbidam hanc dispositionem, a virtutis connotatis inuestigata deprehenderit, longe sane cautior in remediis adhibendis & prognosi ferenda procedet; ideo quod præua partium solidarum conformatio & innata ad certos motus propensio, in melius mutantur aut difficultate, aut nulla prorsus ope. Quid enim illa arte morbiendum tentandumque est, si infantes a prima mox natuitate elumbes & rhachitici sunt, lentoque gradu adolescentes membris tremulis incedunt? Nonne iusta est metuendi ratio, ne per totum vitæ decursum facilius morbis pateant, difficiliusque ab iisdem restituantur, aut clementius tamen tractari velint, quam, qui sibi morbum ab aliis causis contraxerunt? Tum quoque inter causas indistinctui naturam debilitantes numerari debent morbi prægressi, quibus tota partium structura ita saepe perveritur, ut a naturali plane recedat. Qui enim, ut primo

mo de externis loquar, semel in parte quadam aut vulnerata aut contusa debilitatis labem acceperunt, hanc sane retinent, instar calendarii perpetui, quo ad viuunt, luculento testimonio, quod roborantia in tali casu eum effectum minime praestent, quem alias partibus a tono deiectis magno ægrotantium solatio adferunt. Qua de re legi meretur *Viri illustris*, & de medicina pariter ac chirurgia infinite meriti D. HEISTERI *dissertatio de calendario artuum*. Interni autem morbi, qui in partibus neruofis suam olim tyrannidem exercuerunt, ex facili recrudescunt, & difficulter admodum expugnantur. Partes enim nerueæ, per repetitos anomalous motus debilitate, a leuissima causa grauiter denuo adficiuntur. Videre hoc maxime licet in morbis, vbi cerebri, capitis & medullæ spinalis membranæ vitium aliquod passæ sunt, vtpote qui a diæta peruersa, aere tempestateque mutata & leuiori animi affectu facile recrudescent, præcipue autem circa æquinoctia & lunæ mutationes, sub quibus insignis fit aeris ventorumque mutatio, pleno sæpe agmine reuertuntur. Nihil itaque solemnius est, quam epilepticos statis temporibus hoc malo correptos & hypochondriacos, feminasque hystericas perpetuo fere ægrotantes conspicere. Quod igitur si bene perpendit medicus, in expedito habebit, quam methodum medendi præscribere debeat: siquidem in tali rerum statu plane egregium se gerit, si præter patientiam, remedia effrenes motus sedantia, subiunctis dein securis roborantibus tonicis, cum accurata causarum morbum reuocantium uitiatione serio commendat.

### §. XXIII.

Sed instituti ratio non permittit omnes causas imbecillita-

cilitatem corpori inuenientes, quæ suo tempore & loco  
occurrent, tuisus persequi. Quare me nunc statim con-  
uerto ad temperamentorum doctrinam pertractandam,  
quæ similiter a solidorum impulsu petenda, eidem ceu  
fundamento firmiter innititur. Sub temperamento enim,  
in medico sensu, nihil aliud volo intellectum, nisi ipsum  
sanguinis & humorum circuitum, qui prout secundum  
sanguinis in circulum redigendi mixtionem, & respectu va-  
sorum, fibrarum viriumque motricium, vel placidus & vehe-  
mens, vel celer ac tardus esse solet; ita quoque diuersitatem  
in animi corporisque actionibus producit. Quis enim non  
videt in melancholicis, ubi sanguis spissior per rigidiora  
cerebri membranarum vasa & fibras impeditius procedit,  
in animo tristes exsurgere ideas, timorem, diffidentiam &  
ad negotia expediunda tarditatem; cum contra sanguinei,  
quorum temperatus fatisque fluidus sanguis per ca-  
nales moderate tensos placido fertur flumine, hilarita-  
tem & alacritatem præ se ferant? Cholerorum  
sanguis calidus, cum celeritate per vasa traiectus, homi-  
nes efficit præcipites, impetuosos & sepe temerarios; si-  
cut denique sanguis serosa sui portione abundans, & cum  
tarditate circumactus inertes torpidosque reddit. Putet  
autem quispiam, quid ex hac temperamentorum cogni-  
tione in practicam medicinam redundet utilitatis? sed  
mirari desinet, qui probe secum aestimat, animum quo-  
que, securum temperaturæ corporis indolem, multorum  
magnorumque esse morborum fabrum, dum immutabili  
i viusque commercii lege ab animi affectuum turbine,  
qui inæqualiter fluidum nerueum cum sanguine commo-  
uent, ingentes corpori, eiusque motibus perturbationes

E

infe-

## DE SPECIALISSIMA

inferuntur. Medicum autem sicut causarum cognitio in primis decet atque commendat ; ita etiam , qui ab anima proueniunt, effectus iure scire debet, maxime quum motus morbos, ab animi motibus excitati, longe aliam exigant curandi rationem. Id quod nisi minus pensi haberetur, neutquam tot præmatura essent funera eorum, qui contra mala post iracundiam oborta emeticam & purgantem medicinam, seu rectius dicas venenum, a medicis acceperunt. Et profecto dolendum est , quod plures, iisque præsertim sensibiores ægrotantes, tam crebro salutatem medicinam , citra omnem medentis culpam, in verum venenum conuertant, si forsitan curæ, tristitia, sollicitudini , aut iracundia inter medicaminis vsum plus iusto indulgent. Quis enim vnquam criminis medicum incusabit , si purgans remedium inopinata animi excandescientia nocuam & vere rodentem acquirit indolem; aut si volubiles sanguinei, qui nullis se legibus medicis adstringunt, curationem retardant? Præter hæc vero, salutari medicamentorum operationi magnum addere pondus solet ægri in medicum confidentia , & animus spe certa conualescendi erectus ; cum e contrario inter pessima restitutionis signa referendum sit , si æger melancholicus , præsertim in acutis, pusilli est animi, suaque ipsius aliqua sensatione adductus de salute recuperanda penitus desperat.

## §. XXIV.

Sed præter animi ægritudines, etiam ad varios corporis morbos diuersus sanguinis circuitus disponit. Etenim optima rerum magistra , experientia duce cognoscimus , melancho-

Iancholicis, quorum sanguis ater & viscidus segniori voluitur itinere, variij generis morbos chronicos, vt scorbutum, deliria chronica, viscerum infarctus, calculum, podagram fixam & similes, magis esse infestos & curatu difficiliores. Cholerici contra ad morbos impetuosiores, quales febres continuæ, ardentes biliosæ, colicæ biliosæ, inflammationes &c. esse solent, potissimum inclinant. Sanguinei ob sanguinis, quam facile generant, abundantiam iis plerumque passionibus obnoxii sunt, quæ a plethora originem ducunt, & phlegmaticos demum, qui ob tardiorum excretionum successum facile multas colligunt serosas humiditates, crebrius morbi serosi, vt defluxiones catarrhales, glandularum tumores, coryzæ, tumores pedum cedematosi, febres intermittentes &c. diuexare solent, si maxime aliae cause remotæ in eundem conspirarunt effectum. Atque sic perspicuum esse reor, medicum, hæc omnia probe æstimantem, non solum temperamentorum morbos rectius posse præseruare, sed facilis etiam persanare. Differunt enim pro temperamentorum indole causæ morbi; siquidem in homine sanguineo idem saepe morbus, e. g. hydrops, post largas hæmorrhagias, a sanguinis subseqüente inopia potest accidere, qui in pituitoso phlegmatico a nimia succorum repletione proficitur. Differunt ergo & genera medicinæ, maxime quum obseruatio hæc tenus docuerit, quod cholericici & phlegmatici, licet eodem morbo afficti, remedium calidius non ambo eadem ratione perferant. Ut silentio denique præteream, medicum in hac doctrina bene exercitatum optime posse iudicare phænomena, quæ a morbi natura, & a temperamento hominis proueniunt.

E 2

Qui

Qui enim in cholericis, acuta laborantibus, tangentis maximum feriunt celeriores pulsuum ictus, tantum noxii caloris gradum non indicant, quam saepe rariores in phlegmaticis; quod etiam de pulsu contracto in spasmis, & de aliis signis tenendum esse statuo.

§. XXV.

Aetati quoque peculiaris contemplatio dicanda est. Satis enim inter omnes, praesertim medicos, constat, cum quavis aetatis periodo solidas partes, quae fluida regunt, specialem obtinere elasticitatem, tensionem & impellen- di potentiam; vnde pro hac differentia differentes oriuntur morbi, perinde ac in temperamentis vidimus, quae idcirco etiam in quacunque aetate notabilem patiuntur mutationem. Medico igitur aetates rite discernenti, facile erit ratiocinium, quae pro sua cuique aetate vel profint, vel obsint medicamenta tam diaetetica, quam pharmaceutica. Ita ad meliorem rei explanationem aetatis tantum infantilis atque senilis meminisse iuuabit. Illa enim, ob singularem corpusculi teneritudinem, facile nocuitam suscipit impressionem, & ab unico saepe purgante reme- dio in conuulsuos & epilepticos coniicitur motus; sene- tetus autem non minus corpora reddit imbecillia, in quibus omnia fortiora commouentia, vel etiam sedatiua, cane- peius & angue sunt fugienda. Quis enim facile est, quem fugiat, senes, ob magnam succorum falsorum copiam, non adeo raro stranguria & vesica spasmo affici, vel ob maiorem fibrarum membranarumque cerebri sicciam rigiditatem noctes insomnes ducere? Profint alias tali in casu anodyna; nihilo tamen minus noui celebrem in arte

arte virum, qui hisce malis in senio adfictus essentia croci, in refracta licet dosi sumta, medelam sibi ferre studuit; sed tandem soporosus factus interiit: quod sane homini, aliam viuenti atatem minus accidisset. Simili quoque ratione alui obstructioni senes frequentius sunt expositi, vbi purgantibus nihil potest excogitari perniciosius. Et quid vnquam laude dignum arte nostra poterit præstari, nisi in singulis atatum conuerzionibus tempora dentitionis, eruptionis & cessationis mensium, hæmorrhoidum & similia obseruemus? Prater hæc vero, medicus in causarum morbi scrutinio in morbos, atate prægressa percessos debet inquirere, & an labem quandam reliquerint, an vero peruersa medicina tractati fuerint, sollicite examinare. Non raro enim inepta morborum, maximeque intermittentium febrium curationes magna post se mala relinquunt. Neque tandem minus in iudicio de morbi euentu ferendo longe se excellentiorem præstabit, si atatis rationem habuerit. Poteſt enim in iuene & viro morbus quidam sanari, qui in decrepito, ob virium robur deiectum, moriendi necessitatem secum dicit.

## §. XXVI.

Deinde, ſexus etiam differentia annotari meretur, quæ haud fecus a partium solidarum habitu deriuanda eſt. Siquidem ordinario feminæ præ viris, texturam corporis longe laxiorem, molliorem & spongiosorem, pluribusque exilibus dotatam vasis obtinent, quæ circulo sanguinis temperatori, magnæque succorum accumulationi in primis velificatur, vt ideo morbis, temperamento sanguineo & ex parte phlegmatico §. XXIV. adscriptis, potissimum

mum pateant. Prospexit autem natura prouido admodum consilio , vt certa sanguinis superfli quantitas menstruatim secedat, quæ facta imprægnatione foetui alendo impenditur, ceteroquin vero retenta mille malorum feracissima causa existit. Quare vt salutarem hancce excretiōnem in ordine constanter seruet, præcipiuus medentis scopus sit ; quem tamen in tanta muliebrium affectuum varietate attingere vix licebit; nisi flexuosam vteri vasorum strūcturam , & specialem sanguinis per elasticum hoc viscus circuitum exacte nouerit: siquidem alias non raro medicamenta plane contraria præscribit ; quod temerariæ multorum curationes per fortiora pellentia & emmenagoga declarant. Sunt deinde feminæ eandem ob partem singularibus obnoxiax vitiis, quæ in viros plane non cadunt. Et quis enumerare valet molestias, sub grauiditate, partu & puerperio ipsis perferendas , quas tamen optime refert nosse, si feminas curandas accipimus? Plures enim crebrioribus puerperiis naturam aut infirmant , aut in iis male tractatae, debitumque lochiorum fluxum non expertæ, grauissima mala s̄epe post longum tempus reportant, in quibus emendandis nunquam certe non ad originem ipsorum , seu vteri labem, respicere expedit. Præterea quum sequior etiam sexus, ob debile neruorum systema, perfacile in spasticos coniicitur motus , quod vel vnice passiones hystericae ostendunt, mitissime fane in omnibus vult tractari. Longe vero aliter res sese habet cum viris, qui, robustiori corpore donati, aduersis morborum insultibus vegetius resistunt, nisi quod fluxum hæmorrhoidalem in quibusdam dispositis curatius obseruare debeamus.

§. XXVII.

## §. XXVII.

Poscit nunc tractationis ratio, vt, quomodo secundum vires instituenda sit curatio, ostendamus. Iam quidem supra §o. XIX. de robore & imbecillitate hominum naturali quaedam præmisimus; hic autem de viribus, quales in morbis obseruantur, specialius dicendi occasio erit. Eo autem magis hæc inuestigatio necessaria videtur, quia vnica fere salus in singulis morbis a viribus speranda est. Quæ enim vbi in acutis & malignis febribus statim inter initia deiecta, ægros sæpius animo linquere sinunt, non contemnendum periculum portendunt. Imo omnes deinde homines, secundum naturæ ordinem, ex plenario virium lapsu moriuntur, quem vel internæ partium sphacelationes, putridæque corruptiones, vel seri & sanguinis in nobilioribus partibus extrausationes, vel polyposa concrementa inferunt. Possunt autem vires tam ex actionibus naturalibus, quam animalibus & vitalibus, quæ ab influxu subtilissimi atque purissimi cum sanguine bono mixti neruorum fluidi dependent, quam optime astimari, nec non ex grauitate diurnitateque morbi, præsertim chronici, non obscure diiudicari. Atque hæc cognitio non solum prognosi inseruit, sed eo quoque confort, vt de remediorum adhibendi modo certiores simus. Ita enim in morbis malignis putridis, a conferta impurorum humorum copia subortis, fine magno negotio intelligimus, ante omnia vires analepticis esse refocillandas. Vbi vero medicamentis, maiori agendi potentia instructis, opus esse videtur, perinde vires examinabimus, ante quam ad talia plane heroica descendamus. Quod etiam de sedatiuis valet, quæ quidem dolorum tormenta subinde exp-

expetunt; ægrum tamen iam valde debilitatum adhuc magis eneruatura essent, quam ipsi dolores, si intacti relinquerentur.

### §. XXVIII.

Succedit hisce sensationis contemplatio, quam medici sensibilitatis nomine plerumque insigniunt. Est illa, respectu corporis, certa motus ab obiecto externo in partes neruosas impressio, cui certa in anima idea respondeat. Atque sensatio necessario requiritur, si medicamenta debent certam exserere operationem. Qualem enim motum, e. g. purgantia membranis ventriculi nerueis imprimunt, talis oritur sensatio, qualis sensatio, talis est medicamenti effectus, qui ideo in diuersis corporibus, differenti sensatione præditis, non potest non mirifice differre. Id quod nostram de medicamentorum operazione theoriam §o. IV. & V. suppeditatam adhuc magis confirmabit, si hæc illuc transferre placuerit. Nunquam igitur non in medicamenti ysu medicus accurate debet explorare ægrotantium sensationem. Quæ si delicatior est, a quacunque re facile tam corpore, quam animo mouentur. Quorum in numero sunt omnes, a parentib; suis propter morbum tenera mobilique partium neruosarum constitutione prædicti (§. XXII.), temperamento cholericæ, habitu corporis macilentiores, sexu feminæ, & respectu vita generis magna pars urbanorum, aulicorum, omnesque pæne cupidi litterarum. Atque hi non solum a minimis rebus, ut frigidiori aura & crudiori cibo, offendam patiuntur, & miras in corpore turbas inordinatosque motus spasticos, exemplo hypochondriacorum

rum

rum & hysteriarum, experiuntur; verum etiam ab exigua medicamenti dosi statim alterantur, & animo quoque facile impatientiam, iram tediumque e rebus percipiunt. Pertinent huc maxime feminæ, quas suaves ambræ, moschi & zibethi odores, vel etiam graues castorei, atque foetidæ foetores ita mox adficiunt, ut saepe in lipothyrias incident? Alii rursus ab aliis medicamentis fastidio quodam abalienantur; sicut scio nonnullos pilulariem formam, & compositiones cinamomi alias grato odore perfusas, ita reformidantes, ut solo adspectu nauseabunda ventriculi fiat inuersio. Simile præbent exemplum, qui teste HORSTIO manud. ad med. p. 122. lignum sassafras odio habent, aut secundum BARTHOLINVM hif. cent. III. hif. 28. menthae odorem plane auersantur, vel etiam, prout FALLOPIVS tr. de simpl. purg. c. 48. recenset, ex naturali quadam dispositione magnam purgantis remedii dosin sine alui solutione impune ferunt. Quæ cum ita sint, in medicamenti præscriptione valde cautus procedat medicus, sollicite interrogans, an forte ægri ab eius vsu abhorreant; ne fortasse effectus, scopo suo contrarii succedant, qui morbi saepe vehementiam malo omine adaugent.

### §. XXIX.

Prouida quoque consuetudinis ratio habenda est, quæ certa partium tam fluidarum, quam imprimis solidarum, ad motus quosdam repetendos dispositione nititur, cuiusque tanta vis est, ut merito cum veteribus altera natura dicenda sit. Quotidiana enim loquitur experientia, difficulter consuetudinem deponi, eandemque, licet

F

circa

circa insalubria versetur, tamen nullas sanitati noxas struere. Quis enim nescit, homines nonnullos largioribus vini potationibus, nimiæque ventriculi repletioni ita adfueri, ut dannum accepturi essent, si minus potarent atque comedenter; aut cui facile ignotum est, Turcas ab ineunte mox ætate opio adfuescere, quod sensim paulatimque sine ullo incommodo in tanta deuorant copia, quæ inaduetis sumnum stuporem perpetuumque somnum conciliaret? Noui equidem feminam hysteriam, quæ crebriori opii in paroxysmis hystericis vsu tandem habitum sibi acquisiuit, eius fere drachmam impune adsumendi. Neque aliter considerandi sunt, qui medicamentis saepius adhibitis ita adfuesiunt, ut ne minimam quidem mutationem inde sentiant. Quæ cum ita sint, ægrotantes nonnunquam a perpetuo medicamentorum vsu sunt abstrahendi, ne spe effectus inde percipiendi frustrentur. Laborant enim quidam tanta pharmacomania, ut religioni sibi ducant, si horam sine medicamento elabi paterentur. Deinde consuetudines non simili ac semel sunt intermittendæ; sed omnibus rebus, licet noxiis, successu temporis desuescendum. Quam saluberrimam regulam optime inculcauit terissimus CELSVS Lib. I. cap. III. præcipiens: *quum quis aliquid mutare volet, paulatim debet assuēscere.* Et secundum HIPPOCRATEM scđ. II. aph. illud salutem tuto sit, *quod paullatim & successiue sit.*

## §. XXX.

Multum dcinceps in curatione feliciter peragenda sibi diæta, sive vitæ victusque regimen vendicat. Nullum enim, teste GALENO, tam efficax remedium medicina habet,

habet, quod solidum auxilium adferre queat, si ei vi-  
ctus vel resistat, vel non adiunet. Et verissimum est il-  
lud HIPPOCRATIS: *non satis esse, medicum suum facere officium;*  
*nisi suum quoque æger, suum adstantes faciant, sintque externa*  
*rite comparata.* Eo autem magis ad diætam respicere æ-  
quum est, quoniam vitia in eadem commissa nunquam  
fere non causas morborum, maxime chronicorum, remo-  
tiores constituunt, quæ plenam curationem nunquam  
admittunt, si in eodem habitu permanent. Quis enim  
vnquam curabit hypochondriacum, qui vitæ sedentariæ  
addictus, necessariam corporis exercitationem intermitit,  
qui cibis crudis, duris & concoctu difficultibus se vltra  
modum replet, aut nimis parcum potum, eumque  
sanguini diluendo minus aptum bibt? Da ipsi medica-  
menta stomachica, visceralia, tonum intestinorum robo-  
ranta, aliaque symptomatibus etiam mitigandis conue-  
nientia: & certe parum proficies arte tua; nisi ad me-  
liorem redierit diæta ordinem. Et quid dicendum est de  
feminis, quæ gula nimium indulgentes, acetariis, farina-  
ceis, faccharo conditis & fructibus, quos in deliciis ha-  
bent, horæis, vel optimam medicinam pessundant. Tum  
vero etiam diuersi populi diuerso vtuntur victu, quorum  
alius sanguinem & succos spissiores, & fere immobiles;  
alius contra subtiliores tenuesque ingenerando, differen-  
tem medendi methodum exposcit. Quid enim robu-  
stum Westphalum, Suecum & aliud regionis septentrio-  
nalis incolam mouebunt sennæ folia, rhabarbarum & pi-  
lulæ balsamicæ, laxandi fine porrectæ, aut quid ad diapho-  
resin prouocandam cerussa antimonii oblata?

F 2

poti-

potius cuneo, & vehementiori stimulo opus est, si quem effectum sufficientem desideramus.

§. XXXI.

Maximum vero victus bene constituti momentum in conuenienti potu residet, quo nihil ad perennem sanguinis & humorum circulum promouendum, ad omnis generis emunctoria aperta seruanda, & ad obstrunctiones, plurimorum morborum genetrices, referandas est praestantius, nihil accommodatius. Sunt autem præcipua boni potus requisita, vt satis sit aqueus atque dilutus, non facile acefcat, & libere, sine molestia & flatulentia, per vrinam secedat. Atque eius tanta in singulis fere morborum curationibus est necessitas, vt nihil prorsus in acutis & inflammatoriis febribus valeant temperantia, nihil diaphoretica & stasin discutientia; imo, ne tuto quidem in chronicis passionibus martialia, & speciatim in intermittentibus cortex Peruuianus offerri queant, nisi debita potus bene temperati copia coniungatur. Neque sane aliunde, quam a copioso liquido, omnes tubulos perlante, tam excellentes aquarum mineralium in pertinacissimis morbis præstitæ opes deriuandæ sunt. Longe tamen certior succedit effectus, quando debita corporis exercitatio accedit, cui non minus in sanitate tam conseruanda, quam restituenda quamplurimum debemus.

§. XXXII.

Spestat hic denique regimen, sub quo debitam aeris externi temperaturam, conuenientem amictum, commodumque stragulorum apparatum comprehendo; quæ omnia

omnia sane remediorum energiam siue adiuuant, siue infringunt. Videre hoc maxime licet in morbis catarrhalibus & cum cutis exanthemate iunctis, in quibus irritus medentium labor est, nisi moderata conclavis temperies, & corporis a frigore, tegumentorum ope, defensio simul accedant. Maxime vero omnium molesta & persona venereæ luis per saluationem curatio clarissime ostendit, quantam regimen ægrotantium exposcat cautionem: siquidem indubia experientiae fide constat, vel leuissimam corporis a liberiori aeris afflatu refrigerationem pessimam in saluantibus symptomata concitasse, morte ipsa, omnium rerum clausula, non raro subsequuta. Imo etiam nihil utilitatis promittunt diapnoica & sudorifera, in libera frigidaque aura data, nihil quoque laxantia, si corpus velimus in lecto ad sudorem disponere, & sic porro.

### §. XXXIII.

Præter hæc, diæta obseruatio nos proxime ad climatis considerationem deducit, cuius diuersa constitutio in modificando remediorum effectu quamplurimum valet. Latinus noster *Hippocrates*, CELSVS, suo iam ævo hanc veritatem optime agnouit, dum in *præfat. oper.* differre editit pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Aegypto, aliud in Gallia. Quantum enim aeris nos ambientis atmosphæra, & locorum, quæ inhabitamus, siue altior siue declivis situs, in moderando partium solidarum, maximeque cutis tono, & in determinando sanguinis per spongiosum pulmonum viscus, totumque corpus circuitu efficere soleat, dici vix potest, adeo, vt etiam diuersa populorum temperatura tam robusta,

## DE SPECIALISSIMA

busta , quam imbecillis exinde deduci , variaeque virtutis medicamenta eidem accommodari debeant. Id quod per pulcre exemplis demonstratum dedit ill. HOFFMANNVS in dislert. de methodo medendi varia pro climatum diuersitate. Et si morbos certarum regionum endemios , pluresque alios , diurnitatem æque ac vehementiam infestos , ut conuulsuos , epilepticos , & in neruorum systemate radicatos consideramus , plus sane in iis sanandis aeris & climatum mutatio , quam saepe optima medicamenta præstant. Ita enim scorbutus & pestiferum luis venereæ virus longe felicius in Gallia , quam in Germania , aliisque septentriōnem spectantibus regionibus excutitur , quod ibidem clementior cœli temperies curationi quam maxime fauet.

## §. XXXVI.

In curationibus morborum plurimum quoque tribendum est anni temporibus. Quare HIPPOCRATES , optimus huius rei conscius , aphorismos reliquit , quo anni tempore purgandum vomendumue sit. Deinde singulæ anni periodi , ob immutatum sanguinis circulum & excretiones turbatas , singulares morbos producunt , quod morbi epidemii & populariter grassantes demonstrant , quibus præseruando occurtere , vel etiam sanando speciali ratione subuenire debemus. Etenim , quælibet anni tempora suam seruant aeris constitutionem , quæ sanis æque ac ægrotis sive conuenit , sive nocet mirum in modum ; vt ideo nihil medico dignius sit , ac si ex certis anni temporibus morbos potest vaticinari , eosque aut præuenire , aut saltem recta medendi methodo euertere. Lucem hac in re olim pratulit venerandus Coss , & nostra qui-

## MEDENDI METHODO.

47

quidem ætate RAMAZZINVS, atque grandeus, cuius mihi sanctum & venerabile nomen est, HOFFMANNVS in dissertatione *de temporibus anni insalubribus*; quos ut diligenter imitarentur medici, optandum esset omnino. HIPPOCRATES enim *sect. III. aphor. XI. XII. XIII. & XIV.* totus in eo est, ut morbos, ex speciali anni & aeris mutationum varietate prodeuntes perite indicet, eorumque rationem a medico habendam esse serio doceat. Atque sane annus multis refertus pluviis, corpora non solum ad morbos putredine infestos, ut sunt febres malignæ, catarrhales, cum petechiis & vermibus complicatae, disposita reddit; verum etiam alios iam præsentes, in atonia partium solidarum fundatos, magis exacerbat, quod in hydrope, cachexia & scorbuto videmus. Aliter vero operatur intemperies anni sicca, calida & maligno quodam erosuo miasmate foeta, quæ febris biliosis, dyfenteriis, ophthalmiis & purpuræ ansam præbet largissimam; cum contra celeriores aeris se inuicem excipientes inæqualitates, secundæ tuffis, coryzae, rheumatismorum & arthritidis sint genetrices. Quæ igitur si medenti ob oculos bene vertantur, facile ipsum admonebunt, qua ratione morbos, ex anni temporum inclemencia oriundos, tam anteuertere, quam etiam sanare debeat. Vtpote in pluvioso aeris statu in vsum proponet balsamica, humiditatem exsiccantia, diaphoretica, & salia volatilia, excretionibus cutis promouendis idonea: in calida aeris intemperie diluentia & acridinem sanguinis temperantia; in subita autem tempestatum mutatione omnia transpirationi seruandæ apta, & quod maximum est, singularem in vietu temperantium. Conferatur *Viri*, de medicina, optimisque litteris pro-

mo-

mouendis multis meritis illustris D. D. SCHVLZII *dissertatio de morbis verni temporis.*

§. XXXV.

Dantur præterea morbi nonnulli pertinaciores, qui tantum certo anni tempore curationi obsecundant, reliquo autem medicamentis agitati in peius ruunt. Luculentum huius rei documentum præbent, quartana, passiones hypochondriaco-hystericæ, variae arthritidis species, páralyticæ affectus, ipsaque lues venerea; quæ pessima mala frustra plane, & cum damno potius hiemali tempore adoritur medicus, cum contra redeunte veris amœnitate, ob maiorem aeris puritatem, facilius curationem admittant. Dudum igitur medici curationes vernales atque autumnales in more habuerunt; & sane nonnullæ ita sunt comparatae, vt alio anni tempore adhiberi nequeant. Quid enim, quælo, vtilitatis adferent aquæ minerales, & balnea tam naturalia, quam arte parata, hieme adhibita; quorum felix iuuandi ratio ab ipsa cæli temperie non parum dependet? Spectant hoc pariter æquinoctiorum animaduersiones, quæ in quibusdam, ob venæ sectionem & alias cautions, tum temporis adhibendas, probe debent attendi. Ut nihil denique dicam de remediorum certo diei tempore applicatione, quæ cum anni temporibus ex parte conuenit, ne forte sudorifera, emetica atque purgantia ventriculo cibis farto ingurgitemus, vel etiam anodyna mane, sed rectius longe circa somni tempus offeramus.

§. XXXVI.

His ita de climate & anni temporibus, quæ comode

mode ad diætam referri possunt, excussis, interna quoque sanguinis & humorum constitutio cum visceribus examinanda est. Permulum enim interest, vt sciamus, an corpus succo & sanguine, magnaue impurorum humorum faburra, & quali, sit repletum. Idque eo magis nosse expedit, si remedia, correctioni humorum dicata, praescribendi necessitas est. Sæpe enim incident casus, vbi ad deoppilandos viscerum infarctus, vlceraque mali moris diuturna sananda, aut ad reliquias luis venereæ tollendas, mercurialium, ipsiusque salivationis non obscura est indicatio. Quodsi autem scorbutica humorum dyscrasia, seu salino-acris ipsorum qualitas abscondita latet, caute admodum procedendum est, ne accessione salium scorbuticorum hæc medicamenta, rodentem induendo indolem, loco vtilitatis maius damnum adferant. Idem seruandum est monitum in corticis chinæ vlu, vbi ad sanguinis sive inertis & viscidi, sive fluidi, crasis respiciendum est omnino, nisi velimus, vt nocuæ minimorum vasculorum obstrunctiones subsequantur. Neque etiam interne sudorifera, externeque balnea tuto adhibentur, si forte excrementiorum succorum sentina primæ viæ scatent; neque facile in morbis cutaneis, vbi magnus est fluidorum usus, decocta nimis exsiccantia, ex guaiaco parata, corporibus iam dum emaciatis sunt præscribenda, nisi malum debeat incrementa sumere. Imo etiam, ob neglectam humorum in prima regione stabulantum considerationem, tam innumeri haëtenus vitro antimonii, mercurio vitæ & metallorum croco, quæ consu cruditatum acido-bilioſarum enormem edunt operationem, internectioni sunt dati. Et quum latitan-

G

tis

tis colluuici molem atque indolem tam exacte metiri nemini liceat, merito ab hisce medicamentis infidis, & plane insecuris abstinet medicus, de salute hominum vere sollicitus.

§. XXXVII.

Neque interdum minus expedit, viscerum constitutionem bene explorare, si tuto & utiliter mederi volamus. Illis enim vel obstruētis, vel alio modo corruptis, non omnia, licet alias bona, medicamenta tuto adhibere licet. Quis enim facile in quartana, hepatis infarctu sustentata, corticem chinæ præscribere, vel in hydrope, iam multum prouecto, qui immedicabili hepatis obstruktione summaque intestinorum atonia nititur, collectas in cauo abdominis aquas draſticis educere purgantibus auderet, quum haud spernendum sit periculum, ne, aucta inde sanguinis commotione, inflammatio & celerior mors inuitentur? Haud dissimiliter vitiosum pulmonum viscus, quædam remediorum genera interdicit; quæ tamen morbo, si quis adeſt, principali egregie opitularentur. Vnde fieri solet, vt in febribus, ad temperandum æstum proposita subacida pectoris affectum augeant, imo ſepe ne analeptica quidem, inter quæ vinum bonæ notæ Rhenanum primas tenet, tuto offerri queant. Eadem adhibenda eſt cautio in feminarum morbis, qui ab vteri ulceroſa labe, & contentis in ipſo polypofis concremantis originem ducunt, vbi remediis pellentibus, vt friulus quorundam mos eſt, immensa damna inferuntur. Et vt pauca tantum de nobilissima omnium parte, cerebro dicam, quam peruerſe nonnunquam in eius atonia, morbisque

bisque capitis idiopathicis aquæ medicatae commendentur, prudentiores iudicent.

## §. XXXVIII.

Quod ad se- & excretiones attinet, quas in curationibus probe obseruandas supra §o. VI. monui, satis inter omnes medicinæ peritos constat, nihil corporis sanitati magis conuenire, nihilque ad morbum superandum magis conferre, quam si libere ipsæ procedunt. In primis autem sollemnes illæ, fluidi neruei, succorum saliuallum, bilis atque lymphæ nutritiæ, secretiones magnam postulant in morbis obseruationem. Siquidem tenuissimum, in cerebro percolatum liquidum, quo virium robur omniumque functionum integritas continetur, omnino debet in lipothymiis, morbisque aliis ob virium lapsum periculois, per remedia tam interna, quam externa paululum excitari, vel etiam, ubi ratio statutus postulat, per alimenta bonos succos restituentia sensim restaurari; si reliqua medicamina laudabile quid debent præstare. Quod etiam de lympha nutritiæ tenendum puto. At vero dolendum est, quod plures ægrotantes, ob rem angustam domi, necessariis destituti subsidiis, sanationem ipsi remorentur. Quantum deinceps referat, ut succorum gastrici & pancreatici, ipsiusque bilis constitutio bene sit comparata, ii deum intelligunt, qui in artis operibus diligenter versati, longos morbos crebrius tractarunt. Hi enim omnes curationis neruos eo contendunt, ut hisce succis iusta concilietur temperies, aut saltem ut medicamentis qualiscunque defectus compensetur. Id quod Illustris HOFFMANNVS temperatis elixiriis balsamico-ama-

ris, lixiuioso menstruo paratis, quam optime fieri docuit. Imo idem hic eruditissimus vir in morbis exanthematicis sa- liuæ fluxum cinnabarinis leniter promouendum præcipit; quod felicius longe sputatores, quam alii, hos morbos euaderent.

### §. XXXIX.

Per excretiones succi intemperati, superflui, & ad nutritionem, motusque vitales continuandos inutiles a connubio bonorum segregantur: & sane immensæ diuini Numinis prouidentiæ tribuendum est, quod cunctis im- puritatibus uehendis idonea fabrefecerit emunctoria. Vnde residua alimentorum recrementa, & biliosæ fordes per aluum, serum excrementium sulphureo-tartareum per vrinam, & aquæ demum portio, tenuibus salino-sulphureis imbuta particulis, per transpirationem eliminantur. Quam maxime autem illa euacuationis species, quæ per aluum fit, studiosius in quoconque morbo est consideranda, quoniam non solum multorum morborum materies in prima regione latitat, verum etiam insigne symptomatum con- tingit incrementum, si aliud diutius iusto est adstricta, & intestina durioribus scybalis ultra modum distenta. Oriuntur enim hac ratione spasmi & fatus, qui sanguinis per viscera abdominis cursum turbando, eundem ad alias partes maiori propellunt copia, vt non possit non maior functionum læsio inde succedere. Neque facile in tali rerum statu medicamenta alias necessaria possunt præscribi, aut illa saltē debitam operationem non exserunt, nisi alio prius commode referata. Docent hoc purpu- rati, variolarum & morbillorum morbi, in quibus vni- cus

cis sepe clyster felicem exanthematum prouentum melius longe adiuuat, quam omnia antea adhibita alexipharmacæ. Eadem est necessitas in obseruanda cutis excretione, præsertim in morbis, qui per sudorem critice soluuntur, ita omnino, ut illa aut deficiente, aut suppressa, irritus sit reliquorum medicamentorum effectus. Nihil enim valent quæcunque remedia in arthritide, podagra, rheumatismis, fluxionibus catarrhalibus & morbis similitudine affinibus commendata, nisi per porosum cutis corticem sordium conueniens fiat difflatio. Quæ vero quum ob spasmodicam neruosæ cutis constrictionem non adeo raro retineri soleat, optime sane in medendo procedunt, qui anodyna diaphoreticis remixta tum temporis prudenter offerunt. Et profecto complures morbi, licet per se longi, tam diu non protraherentur, si medici aut sufficieni motu, aut frictionibus, aut blandis diaphoreticis, insensibilem promouere transpirationem studerent. Imo nec tempus, nec dissertationis limites permitterent, nunc etiam de reliquis, iisque potissimum sanguineis euacuationibus, ostendere quam caute iis præsentibus remediorum usus sit instituendus, ne inde damnum in corporis machinam irreparabile redundet.

## §. XL.

Tandem, quod ad ipsam medicamentorum operationem attinet, hæc ipsa certe ex eorum adhibendi modo, ex principiis admixtorum, & pharmaceutica præparatione diiudicanda est. Ita enim tartaris emeticus, in apto menstruo dissolutus, tam vehementer non operatur, quam in puluere datus, vbi ob paucam molem ventriculi fibras fortius adgreditur. Et notissima illa Amer-

ricana radix ipecacuanna, quæ blande alias vomitum ciet, laxantem potius facultatem induit, cum menstruo lixiuoso infusa atque oblata. Similiter ialappæ resina, rugosis ventriculi parietibus tenacius adhaerescens, facililime tormina parit; quod tamen minime pertimescendum est, si cum amygdalis trita, cum cremore tartari & nitro, vel prius in spiritu vini soluta, saccharoque excepta propinatur. Et quem facile fugit, rhabarbarum, sennaeque folia, suam aluum ducendi virtutem decoquendo amittere, & hæc potissimum, quia mouent, sed non promouent, flatus & tormina procreare?

## §. XLI.

Tum vero etiam, quæ subinde admisceri solent species, medicamentorum effectum varie determinant. Raro enim sola præscribimus simplicia, sed plerumque cum aliis temperata, varioque fine remixta, quæ ideo singula considerare expedit. Ad clariorem rei explanationem adducere nunc placet vel ynicum satis notabile exemplum: quod scilicet antimonium diaphoreticum, tartaro emetico nuptum, yim huius emeticam minuat; purgantibus vero additum, eorundem virtutem augeat, exemplo pulueris Cornachini. Nititur hoc exemplum industria experientia. Si quis vero rationem effectus desideret, hæc sane aliunde non deriuanda erit, nisi quod procul dubio terreus hicce puluis, emetici molem extendenndo, & in plures diffundendo partes, impediatur, quo minus in exiguo ventriculi spatio immobile hærens, spirulis suis vehementius stimulet. Purgantia vero, quoniama ab acidis fardibus in prima regione fluctuantibus, non parum

parum hebetantur, idem fortasse puluis, absorbendo acidum, ad fortiorum eorum operationem contribuit; licet non negare ausim, quod suum quoque symbolum ex parte residuae a regulina antimonii substantia moleculae conferre valeant.

### §. XLII.

Denique ipsa medicamentorum præparatio in designando ipsorum effectu expendenda erit. Videre hoc licet in compositionibus, quæ aloë & opium ingrediuntur, quorumque in pharmaciis immensa fere prostat farrago. Quem enim finem tot opiatorum, cum purgantibus, alexipharmacis & diureticis correctorum, formulæ habent, præter virtutem stupefacientem aliquantulum mitigandam? Et profecto felix prædicandus est medicus, qui genuinam medicamenta corrigendi & præparandi rationem, per saniorem chymiam, exacte callet; vel faltem hac scientia destitutus, remedia dubiæ fidei plane omittit, ne forte inscius noceat. Laudanda igitur videtur veterum medicorum cauta procedendi methodus, in hellebori & veratri visu, quem, sicut ex ipsorum transmissis ad nos monumentis elucet, nunquam sine lacticiis instituerunt, ad temperandam causticam medicamenti indolem, vel tamen certa præparatione hanc ita cicurarunt, ut tuto potuerit adhiberi. Atque ideo nostro etiam ævo medici prudentiores cum mercurialibus caute admodum agunt, omnem eo diligentiam adhibentes, ut bene ipsa præparentur, quum præsertim experientia multis funestis exemplis satis hactenus docuerit,

56 DE SPECIALISSIMA MEDENDI METHODO.

rit, venenis potius, quam medicamentis, illa perpetram confecta esse accensenda.

§. XLIII.

Sed claudio nunc riuos, satis me demonstratum dedisse indicans, methodum medendi specialissimam, secundum regulam §o. VI. stabilitam, quam maxime esse dirigendam, eumque medicum præ ceteris laudem famamque mereti, qui singulis morbi circumstantiis obtemperans, nihil vñquam prius, nihilque posterius iudicat, nisi vt remedia, cuiusuis individui naturæ & speciali indoli apta, in vsum proponat. Evidem hinc inde facili negotio plura adiicere, monere, & pro rerum tractatarum dignitate in medium proferre potuisse; sed temporis, pagellarumque angustia præclusus, notatu tantum digniora allegauit, ea spe, fore, vt benevolus rerumque intelligens lector æqui bonique consulat omnia.

F I N I S.



NOBILISSIMO ET PRÆCLARE DOCTO  
**DOM. CANDIDATO**

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIVS INTIMVS, ACA-  
DEMIE FRIDERICIANÆ SENIOR, ORDINIS MEDICI h. t.  
DECANVS.

**T**ria potissimum sunt, que a medico, dexter & sapienter miseris agrotantibus succurrente, requiruntur. Primum est, ut exakte agrotantis naturam, num debilis, an robusta sit, cognoscat; deinde, ut accurate morbi originem atque causas perspectas habeat: denique, ut probata & experta virtutis medicamenta morbificæ cause, eiusque effectibus remouendis opposita, prudenter, debito ordine, mensura ac tempore applicare sciat. Huc omnis medicina & experientia rationalis collineat scopus, maximumque in medendi methodo momentum in eo situm est, ut acri iudicio & meditatione instrutus sit medicus. Enim nero, perperam nonnulli a fortuna medici felices salvationis successus deriuant; in quo tamen, ut ego quidem arbitror, permultum falluntur. Rerum enim sua-

H

suarum peritus, probeque gnarus medicus, ipse sibi  
potest fortunam fabricari, eo quod LIVIO auctore  
lib. V. cap. XIX. cuncta, quæ summa ratione,  
consilioque acta sunt, fortuna semper sequitur.  
Neutquam tamen mens est, unice & semper a pru-  
dentia medici auspicatum sanandi successum deduce-  
re; sed ultro potius largior, vim quandam superiorem  
nonnunquam intercedere, summamque gratiam di-  
uinam in languoribus sanandis quamplurimum effi-  
cere, ita omnino, ut natura, eaque saepe penitus de-  
pressa, miracula a medico nunquam praeuisa faciat.  
Id quod ego sapienter in aliis, & in me ipso aliquoties  
expertus scribo. Quicquid autem horum est, nisi ad  
casus plane extraordinarios respicere velimus; re-  
quiritur omnino sufficiens medici dexteritas, & in  
tractandis morbis peritia, si ex voto hi debent sanari.  
Quare TV, Clarissime CANDIDATE, optime hu-  
ius rei conscius, in erudita proprioque marte conscri-  
pta dissertatione TVA, quod potissimum medici offi-  
cium sit, solidissime demonstrasti. Neque sane fieri  
potuit, quin scientiam omnium buc pertinentium re-  
rum Tibi facile comparaueris. Postquam enim hu-  
maniorum litterarum cultura bene preparatus, & in  
academia olim Ienensi philosophie & medicinae fun-  
damentis probe imbutus, ante integros septem an-  
nos, commendatione parentis Tui honoratissimi, ad  
me accessisti, nullus dubitavi, quin TE in domum

me-

meam recipere: cuius etiam incola per omne id tem-  
pus, meusque coniunctus fuisti. Qua ratione non so-  
lum doctrinas meas, priuatissima etiam instruc-  
tione usus, plane imbibisti fidelissimas; verum et  
iam in visitandis agris, consiliisque conscriben-  
dis TE satis exercendi commodissimam habuisti  
occasione. Atque certe in omni hoc officiorum  
genere insigniter mibi seris fecisti. Teque ita sem-  
per fidum dextrumque inveni, ut nunquam me  
poeniteat T. V. L. conuersationis, Tuque mibi  
præstite opera. Nec TE unquam poenitebit, quan-  
tum ex data consiliorum copia sapientiae medice ac-  
ceperis; sed plurimum eadem, si ullus ex meis disci-  
pulis, proficies. Non possum itaque, amicissime  
**CANDIDATE**, quin TE, ad honores doctorales  
capessendos, & ad artis exercitium abeuntem, magno  
plausu & gratulatione prosequar, faustosque & fe-  
lices successus omnibus Tuis conatibus, in maximum  
reipublicæ & agrotantium emolumentum, sincere ap-  
precier. Latabor ego, quoties in TE efflorescere,  
plurimosque fructus proferre sapientia & experi-  
entia semina, quæ animo Tuo tanquam fertili agro  
commisi, animaduertero. Vale! Dabam Hala Mag-  
deburg. a. d. XXVII. April. MDCCXXXII.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
S. P. D.  
IOANNES HENRICVS SCHVLTZE,

**M**Ulti iam anni sunt, ex quo Tecum mihi crebra consuetudo fuit, indeque sat multa occasio TE penitus cognoscendi. Siue enim domi meae de rebus ad communem artem pertinentibus collocuti sumus, siue in publico prytanei nostri auditorio differentem & candidatorum sententiis examinandi operam nauantem audiui: semper mibi abunde satis fecisti, tam modestia & honestate; quam iudicii accurata moderatione, & diserti oris terfa & eleganti facundia. Nec defuit occasio spectandi Tuam in agrotis curandis gnauam industriad, & in causis morborum perite coniectandis promptitudinem, inque medela perspectis causis accommodanda felicitatem. Quae cum ita sint, pridem a me cognita, non solum dilexi TE, sed penitus amavi, nullamque pratermissi occasionem, qua efficere possem, ut intelligeres, quanti TE faciam. Non possum itaque non hodierno die obsequi animo meo, TIBIque insulas doctorales, quas suscepturus es, toto

toto animo gratulari. Faxit Deus, sine cuias nū-  
mine frustra conamur mortales, ut, quæ adhuc tam  
exoptatum successum habuerunt, res tuæ, latis quo-  
tidie incrementis altius exsurgant, TVque amplis-  
sime consequaris, quæ virtus Tua atque doctrina,  
idque humanum genus quouis officiorum genere be-  
ne merendi studium, quod in TE semper cognoui-  
mus, promerentur. Vale. Scripti die XXVII. April.  
MDCCXXXII.

---

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
**CANDIDATO**  
P. S. D.  
W. BECKHOFF.

**O**MNIBUS, qui TE noscunt, præter solidissimam scientiarum, qua polles, cognitionem, suauissima sane consuetudo in deliciis fuit. Hac Tibi me etiam redidit obstrictissimum. Mibi enim, necessitate non nunquam postulante, & amico & salubri consilio adfuisti. Est igitur meum erga TE officium, quod hancce qualemcumque gratulationem de summis, quos nunc in ordine Medico capessere paras, bonori-  
bus

bus iure flagitat. Faxit summum Numen, ut semper  
secunda fortuna & consulendo & medendo fruaris;  
seruet TE saluum ac in columem Nobilissimæ Gen-  
ti Tuae, & quam diutissime superstitem. De meo  
autem erga TE animo Tibi persuasum babe, nullo  
tempore studium meum Tibi defuturum. Vale. Da-  
bam Hale Salicæ V. Nonar. Maii MDCCXLII.

---

**S**ankt recht, geehrter Freund, geh unverzagt drauf los,  
Und gib der Empirie nur wieder einen Stoss.  
Man sieht ja täglich noch der Leute blinden Haussen  
In die verkehrtet Cur verkehrter Aerzte lauffen.  
Kaum hat vielleicht ein Kraut der Fieber Glut gedämpft,  
Hie mit dem Podagra, dort mit der Schwulst gekämpft:  
So gleich wird dessen Kraft zur Panacee erhoben,  
Nur thut sie nicht hernach, wie vormals, gleiche Proben.  
Warum? Du zeigst es ja, daß keine Arkeney,  
Auch selbst in gleichem Fall, von gleicher Wirkung sey;  
Und daß man jedesmal nach klugen Regeln schließe,  
Bey wem sich das und das am besten ordnen liesse.  
Diß ist der sicheire Grund, worauf die Praxis ruht,  
Durch den ein kluger Arzt oft rechte Wunder thut:  
Diß sind die Lehren auch, die unser Hoffmann giebet,  
Die Du geraume Zeit von Ihm gehört, geübet.  
Drum da der Doctor-Hut ietzt Deine Scheitel ziert,  
Was Wunder, wenn auch mich der frohe Wechsel röhrt.  
Geh! zeige nur der Welt, Du seyst im Doctor-Orden,  
Und zwar mit allen Recht, ein würdig Mitglied worden.  
So gibt die Wissenschaft Dir längst verdienten Lohn,  
Hygea nimt Dich auf als ihren achten Sohn,

Und

Und **Du** steigst höchst beglückt in ihren Ehren Tempel  
Zum Dienst so wohl, als Ruhm, und andern zum Exempel.  
Hiermit wollte seine Schuldigkeit bezagen

**Johann Jacob Weber**

Halens. Medic. Cult.

---

**F**ama jubet, **TVA** quam virtus probitasque pararunt,  
Vt tibi vix noti præmia digna ferant.  
Præmia sunt laudes, virtutis gloria merces,  
Monstrant te fortem parta tropæa **VIRVM**;  
Nam solus pugnas, vincis Laurumque virentem  
Præripis innumeris, quam duce forte refers.  
O miras igitur vires, certamina rara!  
Ostendis: **TVA** quid sedula cura queat.  
O miram fortem! cepisti ex fonte salutis  
Fructus, qui fuerat summus in arte senex.  
Hinc ego non miror: dant fata secunda triumphum,  
Cui fortuna fauet, sparta petita manet.

*His conceptam ex egregio specimine lati-  
tiam contestatur, ac Prenobilissimo Do-  
mino Doctorando, Amico Æsumatis-  
mo, meritos honores, adjunctis omni-  
gena felicitatis votis gratulatur.*

**Alexander Ioannes Augustus Hübner**

Stadenis Med. Candidat.

---

**N**escio, quis genius, quæ mens mortalibus insit,  
Vt medicum fese fingere quisque velit.  
Quilibet astra petit, morbos depellere curat,  
Quam-

Quamvis pernicies morsque sequatur atrox.  
Sic artis cursus, sic cedunt coepita proterua,  
Si ratio latitat, consiliumque deest.  
Is nihil efficiet, qui non, quis nexus & ordo  
Causarum morbi, perspicit atque videt,  
Nec felix artis pertinet ad intima nostræ,  
Quem non doctoris sedula lingua docet;  
Sic ea consequitur, quæ quiuis querit & ambit,  
Et multis tempus forsque maligna negat.  
Non ergo mirum, medica TE, FAVOR, in arte  
Tam bene fundata cognitione frui.  
Namque sub auspiciis HOFFMANNI dogmata magni  
Visu felici redditæ firma tenes.  
Hoc satis euincit TVA dissertatio docta,  
Quæ, quibus es diues, detegit artis opes;  
Hinc TIBI de tanto, CARISSIME FAVOR, honore,  
Gratulor ex animo, multaque fausta precor.

*Hecce benevolentie ac integritatis sua  
testandæ causa apposuit*

Ernest. Anton. Nicolai  
Med. Cultor.



01 A 6597





B.I.G.



DISSERTATIONEM SOLLEMNEM  
DE  
**SPECIALISSIMA MEDENDI  
METHODO**  
**OMNIS FELICIS CVRATIONIS  
FVNDAMENTO**  
**PRO HONORIBVS DOCTORIS**

Ad D. April. cIɔ Iɔ c c xxxxii.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS FRIDERICVS DANIEL,  
SONDERSHVS A - SCHWARZBVRGICVS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

